

NOTÆ BREVES.

Equidem animus haud erat, in publicam lucem dare festinata illa, quæ non ita pridem, poscente circuli Oratorii ordine, de amplissimâ hac materiâ feceram verba; sed cùm deinde ob complures non levis momenti rationes ad illud inclinari me ab aliquibus passus essem, hærebam anxius, quoniam modo commodissimè ad exequè liceret. Nam singula quidem ex merito prolixè diducere, neg, fortasse virium mearum erat, neg, otia, cùm ita in immodicam molem excrevisset illa Tractatio; ea verò quæ recitaveram tantum divulgate, nimis jejunum videbatur, quandoquidem vix Summa præcipuorum inventorum capita, non nisi obiter quasi, & per meras ferè præteritiones, ut canis è Nilo, delibare, ob angustum dicendi spatiū tunc temporis poteram: idcirco medium quodammodo amplecti coactus sum, paucisq; in ipsa Oratione immutatis, breves quasdam Notas subnectere, in iisq; fontes saltem aperire constitui, è quibus haurire hæc mihi licuerit, ut si quis Lectorum plura de aliquibus scire gestiret, ex illis conceptam visceribus sitim restingvere posset. Tu B. L. qui priora perlegere dignatus es, has quoq; percurrere ne pigreris!

- (1.) At verò verba illa Psalmi 102. v. 27. non de lento quodam orbis langvore effœtoq; ve senio, sed de totali illa mundi corruptione, quæ in ultima ejus conflagratione contingere debet, intelligenda esse manifestè notum est. Sed nos piguit, Senium istud mundi, quippe quod & rationi & revelationi & experientiæ deniq; repugnat, pluribus hic refutare, cum id jamdudum præstiterint Viri Clarissimi, Gabriel Naudæus Epl. 42. Job. Freinsheimius, Orat. 7. & 9. & Job. Jonstonus, in peculiari Diatribe, de Naturæ Constantia, quæ anno currentis seculi 32. Amstelodami prodiit, in qua per posteriorum temporum cum prioribus collationem Mundum nec ratione sui totius, nec ratione partium univerſaliter & perpetuo in pejus ruere, prolixè ostendit. Addatur etiam Christophori Schraderi Disp. de Naturæ senio, Lipsiæ Anno 1670. habita.
- (2.) Horat. L. 3. Od. 6.
- (3.) V, Verulam. de Augm. Scient. p. m. 20.
- (4.) Ele-